







MATRONÆ ILLUSTRISSIMÆ

*Beate Sophie Juliane*

AB ENDEN


NATÆ DANCKELMANNIÆ  
CENOTAPHIVM

---

DELITII,

LITTERIS CHRISTIANI VOGELGESANGII.





D. O. M. S.

Viator

quisquis es, primus five imus, magnus five parvus,  
adolescens five adultus,  
Monumentum hoc emortuale  
specta:

Condit illud, quicquid condipotuit,  
Offa, pulverem, corporis umbram, mortalitatem,  
labores, ærumnas,

MATRONÆ ILLUSTRISSIMÆ

BEATÆ, SOPHIÆ,  
JULIANÆ

AB ENDEN,

quam Numinis benignitas mundo donavit,  
A. Æ. c. cIo lbc XC, die 20. Decembr.  
multisque nominibus reddidit

BEATAM.

Con-



CONTEMPLARE hanc NATAM

Parente Illustrisf. pariter ac Generosif.

**DNO. NICOLAO, BARTHOLOMÆO,**

L.B. A DANCKELMAN.

Aug. Borusf. Regis Ministr. Stat. intimo

& regim. in Ducatu Magdeb. Præf.

Dignisfimo.

Hoc ipso BEATA fuit,

Quod magni parentis præclara soboles,  
& in perfectisfimo Familiæ per orbem celebratæ circulo,  
ut gemma, emicabat.

ADMIRARE BEATAM hanc ADOLESCENTULAM,

quæ,

non contenta loco haud obscuro se natam,

prænobilis Familiæ splendorem,

ingenii benignitate,

morum amœnitate,

oris affabilitate,

pietate in Deum, dilectione in homines,

rarisfimo exemplo,

a teneris illustrare laboravit.

Intuere eandem denuo BEATAM,

junctam conjugii amantisfimo

VIRO GENEROSISS.

**JOHANNI ADAMO L.B. AB ENDEN,**

Capit. Cathedral. Halberst. Membr. Reverendisfimo,

& Reg. Regim. in Ducatu Magd. Consil.

spectat:

)( 2

quem

quem Maritum, simili pietate dignum,  
Deo dante, invenit,  
nuptiale cum eodem celebrans festum  
A. Æ. C. MDCCVIII. d. 22. Maji.  
ex quo tempore prosperis dubiisque rebus  
quam concordissime semper vixit,  
ut nunquam cum eodem in gratiam redierit:  
Cor è duobus unum fuisse dixeris,  
ante in vera pietate mutuoque amore coalescens,  
nunc tristi fato discerptum;  
nec tamen plane extinctum,  
duobus adhuc adhærentibus membris vivis,  
paterni NOMINIS & generis succedaneis,  
maternæ indolis & virtutis hæredibus,  
unicum afflictissimi VIDVI solatium.  
Hæc ponderans, bone Viator, luge,  
maturrima morte  
Halæ Magd. A. MDCCXVI. d. 2. Sept.  
solutum tam suave matrimonium;  
Jta tamen luge,  
ne BEATÆ huic,  
eo quod amantiss. Conjugi, chariss. Parenti,  
dulciss. pignoribus, bonis omnibus,  
mature nimis subducta,  
felicissimum statum invidetas.  
Ante diem enim moriens defuncta  
mortua non est tota;  
Sed vivit adhuc, nomine & omnine jam  
BEATA.

Si-



Siquidem,  
HAUD TOTUS MORITUR CUIUS POST FATA SUPERSTES  
PARS MELIOR VIVIT, FAMA PERENNIS OVAT.

Interim, si sapias,  
mortalitatis semper memor beatam sectare  
immortalitatem.

Idque ut rite effectum des,  
mentem advertens, mores expendens, pedem retrahens,

BEATÆ hujus exemplo,  
Deum adora, Tecum habita, alios observa.  
Sic Argus quasi ubique catus & cautus videbis,  
divinam in omnibus rerum potiri providentiam,

Tua tempora cito effluere,  
Tuaque te molimina sæpe fallere,  
Mundi mores & amores suos amassios plerumque  
turbare.

Sic mundanas acute cernes & discernes ineptias,  
dolosas exacte spernes & secernes illecebras;  
gnarus,

ludos prendere, nugas vendere,  
in mollitiem fluere, in barathrum ruere,  
perque verborum lenocinia in vitiorum venire com-  
mercia,

esse genuinam lascivientis sæculi imaginem.

Verbo dicam:

Si,

Si, quod unice in votis habere debes, aliquando beateæ-  
ternus fieri cupis  
spretis momentaneis mundi delitiis,  
id age totus,  
ut æternitatem inchoes in tempore.

Nunc recede, Viator,  
ac nisi malus ipse sis, bene precare

**BEATÆ,**  
quæ nunquam male precata est ulli.

L. M. Q. P.

Johannes Warendorff,

Pet. Reg. Boruff. Concion. Aulicus, & Confistor. in  
Ducat. Magdeb. Confiliar.





Son. Zb 509

4°

*Mus in den  
LS*

ULB Halle  
002 403 781



3

Sb.

Paul Diensberg  
Buchbinderei  
Halle-S., Fleischstr. 26









[3]

MATRONÆ ILLUSTRISSIMÆ  
*Beate Sophie Juliane*  
AB ENDEN  
NATÆ DANCKELMANNIÆ  
CENOTAPHIVM

DELITII,  
LITTERIS CHRISTIANI VOGELGESANGII.

